



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. VII. Obedientiæ virtutem unicam viam esse, qua in omnibus certissimè reperiri voluntas Dei possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

CAPUT VII.

Obedientiæ virtutem unicam viam esse, qua in omnibus certissimè reperiri voluntas DEI possit.



Uo sunt, quæ obedientiæ hic attribuantur decora : alterum, quòd ea dirigente certi sumus, divinam nos in omni vitæ actu reperturos voluntatem : alterum, quòd secundum ordinarias divinæ providentiæ leges nullo alio ductu, & regimine tantum id boni indubiè assequi possumus. Utque brevius ambo colligantur, quòd ad finem prædictum trames illa est & certus, & unicus : decora sanè, quàm singularis pretii, & ad omnes, qui DEUM amant, in illius amorem rapiendos idonea ; tam cuiusvis necessariò fatenda, qui eorum probationes iusta lance perpendat. Nam, ad primum quod spectat, ordinarium hunc esse, & juxta communem providentiam perpetuum DEI amorem videmus, ut homines in præsentis vitæ statu gubernet, non utique aut per se ipsum sensibili modo eis apparens ; aut per Angelos,

los, qui in quavis re ambigua illis divinam voluntatem manifestè declarent: sed per aliorum hominum regimen, quos ad hunc usum suos quasi Vicarios constituit. Unde & Cornelium Centurionem allocutus quidem per Angelum est: (*Act. 10.*) sed ità, ut eū fidei institutionem à Petro Apostolo petere juberet: & cū ipsemet præsens Saulum convertisset, non tamen, quid ab eo fieri vellet, quamvis roganti, significare per se ipsum voluit, sed de hoc edocendum ad Ananiam suum ministrum transmisit, respondens: (*Ibid. c. 9.*) *Ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quod ambigi nequit, quin ab eo fiat, tum propter alias majoris nostri boni causas, tum imprimis, ut tantò magis emineat nostra illius placitis obedientia, quantò minùs apparet in persona hæc nobis proponente suprema ejus Majestas. Quemadmodum majus exhibet principi obsequium, qui eum suis in ministris, quàm qui in se ipso duntaxat reveretur, & colit: útque quivis orthodoxæ fidei cultor altiùs intelligentiam suam DEO subjicit, summa mentis firmitudine credens mysteria, quæ toti Ecclesiæ revelata ab eo sunt, quàm si eadem sibi peculiariter, & nominatim revelata ex ipsomet
illi-

illius præsentis ore accepisset. Nam quid, rogo, excellenti dignum laude à nobis præstaretur, si audientes DEUM ipsum, manifesta sub specie aliquid præcipientem, vel affirmantem, induceremus animum promptè illi obtemperare, & indubitanter credere? Nihil certè singulare, atque eximiū in hujusmodi obedientia, & fide appareret. At nunquam eum palàm loquentem vidisse audissèque, & tamen exequi, ac credere, quidquid ejus nomine ab aliis hominibus illius ministris proponitur: neque minùs sedulò exequi, & minùs firmiter credere, quàm si ipsemet sensibili modo, séque apertè exhibens, idem proponeret; næ hic extraordinario virtutis conatu opus est: næ submissio hujusmodi ut maximè ardua, sic perinsignis meriti capax, & DEO exhiberi digna est.

2. Constituto jam, quòd DEUS in ordinaria, & communi gubernatione hominum, authoritatis suæ vices aliis hominibus tradat; altero ex duobus hisce modis id faciat, necesse est: vel nimirum indicando per arcanas voces ei, quem suum Vicarium delegit, quid in re quavis faciendum subjectis præscribere, tanquam à se volitum, debeat; vel his universim edicendo, se velle ab iis fieri, quidquid

non palàm improbum à suis Vicariis, quam ex proprio eorum iudicio, atque instinctu eis fuerit præscriptum. Similiter ac terreni etiam Principes suis solent Præfectis circa res aliquas certam voluntatis suæ significationem verbo, aut scripto tradere; circa alias verò plenum iisdem administrandæ, ut iis videtur, provinciæ arbitrium permittere. Quapropter, quemadmodum impossibile est, ut, qui assignato sibi à Rege Governatori paret, contra Regis voluntatem agat, utque hic nullam propterea succensendi illi habet causam; sic neque fieri unquam potest, ut, qui legitimi Præsidis voluntati morem gerit, DEI simul voluntatem non impleat: utque ullam metuendi causam habeat, nè ab illo fortè improbetur, quod iubente, & probante illo agit.

3. Id porrò ut certiùs agnoscat, proderit ad contrarii falsitatem respicere. Si enim, qui subest, moderatoris sui iussa exequens, voluntatem DEI non implet, neque contra hanc ageret, illa exequi abnuens. Quod consequens nemo non videt, quàm rationi absolum sit, quàmque manifestè ex illius falsitate contrarii veritatem liceat eruere. Quapropter, sicut nulli esse dubium potest, quin

quin divinæ voluntati repugnet, qui rectoris sui imperiis non obtemperat; sic neque dubitari à quopiam potest, quin illam exequatur, quisquis hæc servat. Sed firmitus adhuc idem comprobatur testimoniis sacrorum Voluminum: ubi inculcari obedientiam videmus non DEI tantum jussis, sed hominum, qui locò ipsius præsumunt. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris; surge, & ascende ad locum, quem elegit Dominus DEUS tuus: veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem: & facies, quæcunque dixerint, qui præsumunt loco: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* (Deut. c. 17.) Ità DEI nomine Judaico populo edicit sanctus Legislator Moyses. Et D. Paulus Dominis Ethnicis obtemperari vult, non secus ac DEO, (Ad Ephes. c. 6.) *Obedite Dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino,*

& non hominibus. Cujus tam perfectæ obedientiæ hanc in Epistola ad Romanos rationem affert, quòd omnis humana potestas ex suprema DEI potestate, quasi rivulus è suo fonte promanet. (c. 13.) *Non est potestas, nisi à DEO. Quæ autem à DEO sunt, ordinata sunt. Itaque, qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit.* Quid plura? Christus Dominus nè ipsos quidem scribas, & pharisæos, quatenus ex Moylis cathedra differebant, ab hujusmodi regula excipit, dicens apud S. Matthæum: (c. 23.) *Super cathedram Moyli sederunt scribæ, & pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundum verò opera eorum nolite facere.* Et cum Apostolis loquens, professus planissimè est, se illum esse, cui in ipsis & præstaretur, & denegaretur obsequium. (Luc. 10.) *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Quod effectum non ad ipsos solummodo pertinere, sed ad omnes eos itidem, qui post ipsos aliorum futuri essent moderatores; ex multis, (ut scribit D. Basilius) iisdemque certissimis divinarum literarum testimoniis, manifestisque argumentis probari potest. (In Const. Mon. c. 22.) Quapropter certissimi dogmatis locò apud omnes sanctioris vitæ tum magistros, tum sectatores fuit semper

per

per, legitimum quemvis præsidem non esse aliter, quàm ut Christi personam spectandum, nec secùs, quidquid ipse præcipiat, oportere accipi, quàm si illud ipse Christus præciperet: ac proinde, quemadmodum omnino impossibile esset, à DEI voluntate quemquam discedere, faciendo, quæ DEUS palàm per se ipsum loquens juberet, sic pro re penitùs impossibile esse habendum, ut ab eadem quisquam discedat, faciendo, quæ facere à legitimo suo præside, hoc est DEI Vicario jubetur. Et quantum ad Magistros, sat fuerit, unum pro cunctis D. Bernardum audire, qui disertè pronuntiat: (*De Præc. & Diss. c. 12.*) *Sive DEUS, sive homo DEI Vicarius mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, ubi tamen DEO contraria non præcipit homo.* Neque sensu proprio contentus, sancti quoque Benedicti testimonium adjungit in regula hisce verbis expressam: *Obedientia, quæ Majoribus præbetur, DEO exhibetur. Quamobrem, quidquid vice DEI præcipit homo, quòd non sit tamen certum displicere DEO; haud secùs omnino accipiendum est, ac si præcipiat DEUS. Quid enim interest, utrùm per se, an per suos ministros, sive Angelos, sive homines innotescat suum beneplacitum DEUS?* Quam

sententiam paulò infrà sic concludit: *Ipsum proinde, quem pro DEO habemus, tanquam DEUM, in his, quæ apertè non sunt contra DEUM, àudire debemus.* Quod verò ad sanctioris vitæ sectatores pertinet, sufficere itè unum poterit veterum Ægypti Patrum exemplum: apud quos sanctissimum fuisse, & inviolabilem ritum, Cassianus testatur, *universa, quæ unquam à præposito suo fuerint præcepta, tanquam à DEO cælitus edita, sinè ulla discussione complere.* (L. 4. c. 10.)

4. En itaque, ô Lector! quàm jure ego affirmaverim, facillimum nobis esse per meram obedientiam, vel sinè ullis aliis documentis, & regulis indubitatisimè agnoscere, quid maximè à nobis DEUS velit, neque fieri posse, ut in ullo opere, auspiciis illius factò, à supremi Domini placito diversi abscedamus. Ità planè se res habet. Connitamur, quantumcunque fas est, nullisque artibus, atque industriis parcamus ad deprehendendū, quænam circa unumquemque nostrorum ætuum sit *voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta*; nunquam sanè reperire nobis contigerit nec examen aptius, nec judicium sagacius, nec magis veram prudentiam, nec disciplinam certiolem, nec breviorẽ artem,

tem, nec expeditiorem viam, nec auspici-
tutius, nec revelationem minùs dubiam, nec
oraculum disertius, nec regulam magis uni-
versalem, & sinè exceptionibus, quàm ei nos
omnino dirigendos permittere, qui nobis lo-
cò DEI præest. Imò tam verum id est, ut,
si quid ille faciendù nobis mandaverit, quam-
vis Angelus sensibili sub imagine apparens,
contrarium juberet nos facere, deberemus
sinè ulla hæsitatione primum mandatum exe-
qui, & posteriori aures occludere, tanquam
fallaci sibilo antiqui serpentis transformati
ad nos circumveniendos in cælestis nuntii ha-
bitum: existimantes nobis quoque ibi dici,
quod Galatis olim D. Paulus dixit: (c. 1.) *Li-
cèt Angelus de calo euangelizet vobis, præterquam
quod euangelizavimus vobis, anathema sit.* Quia
denique hæc via tutissima est, quam DEUS
patere in Ecclesia cuiusvis voluit, sanctissimum
suum placitum sinè ullo erroris metu cupien-
ti invenire. *Hæc est via: ambulate in ea, &
non declinetis neque ad dexteram, neque ad sini-
stram.* (Isa. c. 30.)

5. Parùm tamen ad justam obedientiæ
æstimationem foret primum hoc assertum ei
decus, quòd scilicet, quisquis illius ductum
fideliter sequitur, nulla in re possit à divinæ

voluntatis scopo aberrare. Afferendum jam eidem etiam alterum superest, quòd nimirum ad cælestem illum terminum sinè ullo errore obtinendum trames illa, ut initio affirmari; non certissimus modò, sed & unicus sit: nam ubi tandem extra obedientiam fas homini est æquè certum esse de sua in omnibus, quæ vel agit, vel agere omittit, conformatione ad DEI voluntatem? Num in suimet judicii sagacitate? ultronea deceptio sui esset, id sibi promittere. Cùm nimis explorata sit illa D. Basilii in oppositam partem sententia: (*Const. Mon. c. 21. & 22.*) *Rem nempe omnium difficillimam esse, se ipsum cognoscere, & curare. Quia unusquisque sibi ipsi benevolus judex est, & quæ jucunda sunt, ea censes utilia.* Quamobrem rite, sapienterque observatum à Curtio est, nunquam esse homines ad optimum discernendum minùs idoneos, quàm cùm illud pro personis sibi maxime charis, & quibus præcipuè consultum vellent, hoc est pro se ipsis exquirunt. (*L. 7.*) *In suo quisque negotio hebetior est, quàm in alieno.* Et Aristoteles idem probat Medicorum exemplo, qui ægrotantes neutiquam propria sibi arte consueverunt mederi, sed aliis se curandos permittunt: (*L. 3. Polit. c. 12.*)

12.) *Quasi nequeant verum discernere, qui de propriis judicant, & in affectu sunt constituti. Ut proinde scitū illud D. Bernardi pronuntiatū epiphonematis locò apponere hic liceat: Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. (Ep. 89.)*

6. At, si minimè proprio, alieno saltè certus poterit fieri doctorum hominum, ac prudentū consilio? Nè id quidem sperandum. Quantacunque enim sagacitas sit personarum, quas consulat, non alia, quàm humana erit sagacitas: quæ veluti neque futura prævidet, neque ipsummet præsens secundum momenta sua omnia usquequaque comprehendit; sic in plerisque decisionibus suis ultra meræ probabilitatis fines non exit; & si in aliquibus etiã ad verū ratiocinando pertingit; plura fortasse sunt, in quibus vel ambigua hæret, vel fallaci opinione seducitur. *Quis hominum scire poterit consilium DEI? Aut quis poterit cogitare, quid velit DEUS? cogitationes enim mortalium timide, & incertæ nostræ providentiæ. Et difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in calis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis,*

&

& sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines. (Sap. 9.)

7. Reliquum ergo est, ut dicat, posse certam in quovis suo actu divinæ voluntatis intelligentiam se assequi per lumen supernaturale, orando impetratum à DEO. Verum diceret, si ei indubiè constaret, prædicto se lumine perfusum iri, quotiescunque illud poposcerit. Atqui adeò nemini id constat, ut justas potius quisque habeat contrarium metuendi causas. Nam, licet DEUS nequeat, juxta notissimam suam promissionem, non concedere, quæ ad necessarios spiritualis vitæ usus à se confidenter petuntur; id tamen intelligendum est, ubi homo ordinariis destitutus præsidii opis gratiâ ad eum confugit, dicens cum Davide: (*Paral. L. 2. c. 20.*) *Cùm ignoremus, quid facere debeamus, hoc unum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te: non verò etiam, cùm negligens, quæ ipse omnibus communiter providit, & ad manum parata esse voluit præsidia, ab eo potius extraordinaria, & peculiari providentia dirigi postulat. Cùm hoc pacto se gerere, non tam orare, quàm tentare DEUM sit, & consequenter pœnas veriùs mereri, quàm mune-*

ra.

ra. Quocirca, cùm ipse omnibus agnoscendæ voluntatis suæ cupidus certum adeò id consequendi instrumentum paraverit, ut moderatoris legitimi gubernatio est; qui hac derelicta peculiare illius locò cæli instinctus, atque illustrationes posceret, nonne ità affari DEUM videretur? Novi quidem, Domine, si à rectoribus meis instrui, ac duci me finam fore, ut in quovis meo actu, quidquid velis, certissimè agnoscam: cuperem tamen, ut eorum locò tute id mihi aperires? Similis aliquatenus pharisæis illis, qui, prout apud D. Marcum legimus, (c. 8.) *signum de celo querebant*: dignusque, cui similiter, atque illis respondeatur: *Quid generatio ista signum querit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.* Quænam tua isthæc ambitiosa, heteroclitica, & supervacua sunt vota? Tuine igitur gratiâ mutandæ sunt leges, quibus ad hanc diem gubernatum est genus humanum, & novus providentiæ ordo inducendus in orbem terrarum? Satis sit tibi, quod ad plenam non errandi securitatem omnibus in commune est provisum. *Habes Moysen, & Prophetas: audi illos.*

8. Cùm igitur sola obedientia certissimo, & tutissimo tramite ad divinæ voluntatis

tis cognitionem nos ducat; quoniam modo fieri poterit, ut, qui perfectè DEUM amat, non illius itè amore capiatur, neque illam pro unica totius vitæ suæ regula accipiat? Nemo fanè eximiè amari aliquem ab eo dixerit, qui parùm sollicitus sit de quærendo illius placito, aut multùm de hoc eum laborare, qui viam habens præ oculis, qua certissimè ad illud perveniret, per ambiguas potiùs, fallacésque alias illud sibi putat quærendum. *Satis probat*, (D. Anselmi sunt verba) *quia nullatenus, aut parùm diligit aliquod bonum, qui illud, ubi certiùs, & meliùs cognoscit, non eligit.* (Ep. 3. ad Henr.) Felices profectò, qui fixum in animo habentes nulla unquam in re per liberam voluntatis electionem ab eo, quod maximè DEO placet, deflectere, nè per ignorantiam alioqui, & mentis errorem indè unquam discedant; legitimo cuiuspiam moderatori in omnibus se regendos permittunt: nihil seu magni, seu parvi facientes, volentésque ex innato arbitrii, ac iudicis sui instinctu, sed, quantum ad singula, præstandos audire, quid sibi agendum, volendumque ille edicat, perinde quasi ejus vox non hominis, sed veluti revera est, vox DEI esset: nec minori cum alacritate, ac voluntatis ple.

plenitudine exequentes, quidquid ille præscripserit, quàm si DEUS ipse coram spectabilis suomet ore id præscripsisset. Felices, repeto, ex omnimoda hac proprii arbitrii, judiciique abdicatione, quæ illos ad divinam voluntatem certò ubique dignoscendam, atque implendam perducit. Quænam, rogo, errandi pericula DEO ipso duce, & auspice sui cursûs possunt meruere? In quæ abrupta, & præcipitia, per tutam adèò viam incedentes, tàmque fido lumine illustratos labi unquam continget? Quis explicare sat possit, quàm tranquillè vitam ducant, quæ meritorum cælestium lucra cumulare in dies pergant, quantùm DEO placeant, quibûsque ab eodem, & quàm singularibus donis ditentur?

9. Vulgaris, fateor, in oculis hominum hæc vivendi ratio est: tota quippe in eo posita, ut præ intimo, perfectissimòque DEI amore nihil facere unquam velint, nisi quod ille fieri vult, sive id heroicum, & ad speciem magnificentum, seu contra plebejum, ac in abjecta, & obvia materia sit. Sed ô quantum pretiosa ob id ipsum in conspectu Domini est? Quàmque ad sublimem sanctitatis gradum eos provehit? cùm ipsa per se

vera, germana, propria, & formalis sanctitas fit. Certè si examinare accuratiùs velimus, undenam tantum commendationis, pretiique habeant prolixæ orationes, exquisitæ corporis ultro discrucianti artes, Apostolici pro salute animarum labores, & quidquid præterea operum majori cum admiratione, atque plausu in sanctorum hominum vitis celebratur; nullam reperire aliam intimiorem, propriamque magis causam poterimus, quàm quòd ejusmodi opera specialiter, atque inprimis DEO placeant. Fatendumque nobis est, cùm supremi illius Domini placitum princeps norma, ratio, & mensura omnis excellentiæ, omnis perfectionis, omnisque sanctitatis, ac meriti sit; si ille sive per se ipsum, sive (quod tantundem esse vidimus) per homines suos vicarios significaret, malle se, ut aliquis non per supradicta excellentioris notæ opera, sed per alia humiliora, & vulgaria sibi serviat; hæc secunda, quemadmodum tunc in tali persona gratiora primis illis DEO essent; sic majoris itè respectu ejusdem personæ futura sanctitatis, ac meriti, magisque commendari, atque eligi digna. Si ergo veræ quivis, perfectæque obedientiæ sectator non alia de causa hoc, illud.

illudque agit, nisi quia per moderatorem suum certior fit, id præ aliis quibusque operibus DEUM tunc velle ab eo fieri; quænam dubitandi ratio esse potest, quin singula, & omnia illius opera perfectam sanctitatem contineant? Aut quis, nisi Evangelicæ Philosophiæ penitus rudis, videns illum ex obedientiæ impulsu gregariis secundum speciem, ac materiam operibus fungi, minus sanctum idcirco existimare poterit, quàm si excellentissima quæque præcipuarum virtutum opera suomet arbitrato exerceret? *Numquid vult Dominus holocausta, & non potius ut obediatur voci Domini?* (L. I. Reg. c. 15.) Et quorsum opus mihi est orationibus vestris? Aut quid meâ refert, spiritualibusne exercitiis, an externis vos actibus occupemini, dummodo in quavis vestra occupatione meam duntaxat voluntatem spectetis? Dictum olim à Domino est S. Gertrudi, cum hæc illi provisos, atque œconomos Parthenonis sui commendaret, quò scilicet ab eo in externa procuratione sua adjuti, quantò minus cogèrentur de illa solliciti esse, tantò quietius orationi vacarent. (L. Insn. c. 69.) *Et quid ego inde lucrarer, cum bonorum vestrorum non egeam, & pro eodem mihi sit, vos vacare spiritualibus, &*

exterioribus laboribus insudare : dummodo voluntas libera intentione pro me dirigatur. Nam, si tantummodo in spiritualibus exercitiis delectarer, naturam humanam post lapsum denuo reformassem, non indigentem victu, aliisque, pro quibus desudat industria. Qui in alia quoque simili occasione rogatus ab eadem sancta Virgine, pro persona, quæ ægre ferebat, haud se posse propter occupationes sui muneris, quamdiu, & quomodo vellet, divinæ consuetudini operam dare: Non ego elegi eum, respondit, ad hoc, ut tantum unâ diei horâ mihi serviat, sed magis ad hoc, ut tota die sine intermissione mihi adsit: id est, ut omnia opera sua continuè ad laudem meam perficiat, ea intentione, qua vellet orare. (ib. c. 74.) Satiùs profectò, satius longè est, si id DEO magis placeat, ex puro illi gratificandi studio humum fodere, floreâsve contexere, quàm propriæ libertatis instinctu tertium cælum perambulare, cumque beatis ibi mentibus conversari.

10. Cujus rei veritas, quamvis per se satis pateat, adhuc tamen pleniùs declarabitur solutione nonnullarum oppositionum, quæ ab hominibus sive imperitis, sive de sua libertate retinenda sollicitis, adversùs illam fieri possunt. Et primò quidem objiciunt, si

vera essent, quæ hîc differuimus, necesse omnibus fore, qui perfectè DEUM amant, ardentissimâque cupiditate æstuant, semper faciendi, quod ei maximè placet, certo cuiuspiam rectori sese in omnibus moderandos permittere: imò etiam perpetuum religiosæ obedientiæ, vitæque sacramentum dicere. Quod una ex parte durum plùs nimîò, neque ex altera ità omnibus necessarium ad divini amoris perfectionem videtur: cùm permultos ad hanc pervenisse noverimus in eremo, aut in privatis suis ædibus, sinè ullo eiusmodi jugo, sed satis habentes ea in vitæ suæ cursu agere, quæ post sedulam animadversionè Deo præ aliis placere, & ad majorem facere illius gloriam existimarent. Ità sanè adversarii: quibus ut respondeam, fateor primò, & tanquam legitimè deductum admitto, quod ex mea doctrina consecrarium eliciunt: fieri nimirum non posse, ut qui seriò, efficacitèrque desiderat certissimam divinæ voluntatis circa omnes suos actus cognitionem nancisci, si constare sibi, & huic desiderio suo vult; non simul perpetuam religiosæ obedientiæ professionem, ceu prædicto suo fini quàm maximè opportunam desideret, & si liberum sibi sit, re ipsa amplectatur. Esto

L 3

enim

enim cuius hominum liceat perpetuam conscientia suae arbitrio obedientiam promittere, subque illa voto etiam, si libeat, sancita domi suae vivere; non tamen huiusmodi obedientia solet plerumque tam perspicue, & circa omnia voluntatem Domini sectatoribus suis aperire; quam cœnobitis eandem patefaciunt tum scriptae sui ordinis leges, à quibus in plerisque actionum suarum diriguntur; tum viva praesidis vox, qui neque dubitari potest, quin legitimam à DEO obtineat eos gubernandi auctoritatem, neque aliud magis proprium, & peculiare habet munus, quam subditos gubernare; & sicut eodem subiecto iis convivens nullam ferè non horam, deque nulla non re peculiari, quae subito occurrat, ab iis consuli potest. Quocirca, ceu palam ostenderet, non amari à se efficaciter bonum, qui omitteret illud quærere, ubi potest certius, pleniusque inveniri; sic manifestò proderet, non magnae sibi curae esse certam divinae voluntatis in omnibus actionibus notitiam, qui videns, quantum ad eam obtinendam plus cæteris quibusque artibus religiosa obedientia conducatur, negligeret tamen huic sese regendum subicere.

II. Unde etiam apparet, contrà quàm ab adversariis subjungitur, studium eandem profitendi, conditionem esse, si minùs qualicumque, at summæ divini amoris perfectioni necessariam. Neque enim dubitari potest, quin aut necessarium sit ad DEUM perfectissimè amandum id, sinè quo minùs perfectè DEUS amaretur; aut minùs perfectè amet DEUM, qui ei mavult secundùm iudicii, arbitriique sui normam, quàm secundùm obedientiæ leges servire. Cum ità agens illo uti instrumento negligat, quod ad certò deprehendendũ, quid in quavis re DEO maximè placeat, esse aptissimum vidimus, nec proinde summo ardeat studio, nunquam ab illius placito aberrandi: quod procul dubio est minùs eum amare, quàm posset. Neque exempla sanctorum hominum, qui vel in locis desertis, procul ab humano commercio, vel in urbibus extra cœnobiorum claustra vixere, ullam contrarium persuadendi vim habent. Vel enim credendum est, tutiorem illos religiosæ subjectionis viam nequaquam ex innato propriæ libertatis amore omisisse, sed alios ex peculiari DEI instinctu, qui sibi in solitudine servire ab iis voluit; alios propter externa impedimenta, quæ sua vi, & ne-

cessitate coëgerunt, quamvis cæteroqui in-
vitos in liberioris vitæ statu manere; vel si
in aliquo neutri prædictarum rationum lo-
cus fuerit, responderi jure optimo potest,
obedientiæ decus non tam in eo esse posi-
tum, quòd sancti, perfectique homines eam
sibi profitendam suscipiant, quàm quòd san-
ctos ipsa, & perfectos suos sectatores effici-
at: nec propterea, ubi quispiam vel eximii
cæteroquin meriti vir eam profiteri omittit,
indè fieri, ut minore in pretio habenda illa
sit, sed solummodo, ut ipse majori perfecti-
one careat, quam ex ea retulisset. Et posse
quidem hujusmodi omissionem in reliquæ
suæ sanctitatis gratiam ei condonari; at nul-
lo pacto pro regula accipi, laudabilius, san-
ctiusque operandi. Exempla enim Sancto-
rum haudquaquam esse nobis debent fomen-
tum ignaviæ, sed incitamentum strenuitatis:
neque valere ad excusationem minoris, sed
ad majoris perfectionis stimulũ: neque nos
impellere, ut relinquamus, si ipsi fors reli-
quere; sed ut eligamus, cum elegere, quod
factu optimum est. Alioquin nimium quàm
tristem, ac pœnitendum ex eorum vitis per-
ciperemus fructum; si pro eo, ut observe-
mus, excerpamusque ad nostram utilitatem,
ut

ut magnus Antonius factitabat, quod in unoquoque præcipuum, & maximè excellens occurrit, eas solas illorum actiones imitandas sumeremus, in quibus se homines illi exhibuere potius, quàm Sanctos: & quibus si nihil melius præstitissent, nunquam sanctitatem nacti essent, communi excellentiorem modo, & proponi ad imitationem, atque exemplar posteris dignam.

12. Dispiciendum postremò esset, num perpetua hæc, atque omnimoda propriæ libertatis subjectio tam durum, & grave jugum sit, quale ab adversariis fingitur. Sed quomodocunque se res habeat, & verè, an falsò id fingatur, nullius hìc momenti est: ubi neutiquam, quid suavius, & naturæ genio magis consentaneum, sed solùm quid perfectius sit, quæritur. Duram enim verò, & intolerabilem vocent, quibus nondum perfecto DEI amore succensis qualiscunque in ejus famulatu mediocritas sufficit. Haudquaquam cum istius farinæ hominibus liber hic loquitur: sed cum viris duntaxat altissima quæque, & summa spectantibus: qui nimirum omni penitùs sui, suæque voluntatis, & rerum huic placentium amore abdicato, quemadmodum cervus solis adustus ardoribus la-

rites, ità (ut cum Joanne Climaco loquar.)
divine voluntatis comprehensionem desiderant.
 (Grad. 26.) nullam in animo aliam foventes
 curam, nisi ut in quibusque suis actibus Deo
 maximè placeant: neque in omni re, loco,
 atque tempore secum aliud volutantes, nisi
 ubinam est hìc major mei Domini gloria?
 Quidnam hìc agendum mihi est, ut DEO meo
 magis gratificer? Qui certè audientes, nul-
 lam esse certiozem ei in omnibus placendi vi-
 am, quàm legitimo præfidi sese penitùs mo-
 derandos submittere; tam procul ab hujus-
 modi conditione pertimescenda aberunt, ut
 gratulaturi potius de ea sibi sint, & oblatam
 non minori cum aviditate, gaudióque am-
 plexuri, quàm si inæstimabilem sibi indicari,
 atque offerri thesaurum audirent.

13. Secunda oppositio est: neque ipsos
 religiosæ obedientiæ sectatores certò co-
 gnoscere, quidnam à se DEUS in omni vita,
 & actione velit. Neque enim fieri posse, ut
 homo DEI vicarius, & illius voluntatis in-
 terpres ità omnino, & quantum ad minutissi-
 mos, ac brevissimos quosque tam externos,
 quàm internos actus sibi subditum dirigat;
 quin hic circa plurimos innumerabilium hu-
 jusmodi actuum cogatur, merum sequi hu-

ma-

manæ rationis , ac prudentiæ suæ ductum : regulam scilicet dubiam , & secundùm quam operans , non extra omne periculum est , à divina interdum voluntate aberrandi. Sed respondetur , quam obedientibus nos promissimus vitæ omnis juxta DEI placitum traducendæ securitatem , humano modo intelligendam esse : quantum scilicet ad actiones , quæ alicujus momenti sunt , nonnulloque temporis spatio producuntur , & in quibus falli plusculum detrimenti afferri homini posset. Quæ profectò omnes , sive quod ad earum speciem , sive quod ad temporis moram , & certum inter se ordinem pertinet , ita præscribi à religioso moderatore cuilibet sibi subjectorum possunt , ut hic nihil majoris momenti præter obedientiam , hoc est absque certa divinæ voluntatis nota operetur. Atque hunc ego fructum obedientiæ unius proprium affirmavi , iterumque affirmo , dignissimum esse , quem , quisquis DEUM perfectè amat , summo in pretio habeat , avidissimèque expetat , & nullo non sumptu , atque impendio sibi comparet. Quantum verò ad actiunculas , quæ ob suam tum exilitatem , tum multitudinem præscribi , & definiri omnes à moderatoribus nequeunt ; di-

co

co primùm: plurimarum ex iis bonitatem, aut malitiam per se satis patere, neque ambigi posse, juxtane, an contra DEI placitum sint. Dico præterea, ubi nulla divinæ voluntatis certò deprehendendæ suppetit ratio, posse hominem implorato Spiritûs sancti lumine eligere, quod factu probabilius existimat, neque dubitare, quin id potissimùm in tali rerum cardine à se fieri DEUS velit. Præfertim, quod Angelicus Doctor observat, de minimis hisce actibus, qui *parùm adjuvant, vel impediunt, respectu finis consequendi*, ab hominibus nè consultari quidem solere: quia, ut addit, *quod parùm est, quasi nihil accipit ratio.* (1. 2. qu. 14. a. 4.)

14. Quamvis verò verissima hæc sint, nihilominus, qui in cœnobiis perfectè Deum diligunt, & inexplebili sanctissimæ illius voluntatis vel circa minutissimas quasvis regulas certò agnoscendæ siti æstuant; nequaquam quiescunt: sed vellent moderatorem suum, qui sibi locò DEI præest, continenter ad latus, tutelarum Angeli instar, inò & intrà se ipsos habere, quasi alteram animam: nè scilicet ulla in re, quantumlibet minima, cogentur judicio suo uti, verùm in quavis agendi occasione ab eo sibi suggeri audirent: De-

us vult, hoc te, bolo vesci, illum intactum relinquere: hoc verbum eloqui, illud silentio premere: de hac re cogitare, ab ea mentem avertere: atque ità porrò se instrui, monerique circa singulos gestus, obtutus, aliòsque seu corporis, seu animi vel brevissimos, ac penè insensibiles motus. At, si tam exactum, & omnimodum regimen nulli potest, esto illud maximè optanti contingere; qui tamen à suo sibi præside, tum generatim, tum particulatim definiri curet, quid in peculiari quovis rerum articulo seu agere, seu prætermittere, quémque in singulis rebus agendis servare modum debeat: neque contentus ab eo ità semel dirigi, iterum, iterúmque ad eundem novam minutio-rem, pleniorémque, & magis distinctam institutionem accepturus recurrat; nã intrà breve tempus per hujusmodi industriam adeò se undique, & secundùm omnes propemodum vitæ suæ actus ab obedientia circumscriptum inveniet, ut vix ullus ei locus superfuturus sit, ubi queat proprio se judicio dirigere, & consequenter timere, nè qua in re facienda, aut omittenda DEO minùs placeat. Certè in nostra Societate, ut de privato præsidum regimine taceatur, & solæ observentur hinc
re-

regulæ universo ordini scriptæ, hinc extraordinariæ edictiones, quæ identidem super his, aut illis domesticis rebus publicè promulgantur; tantus utriusque generis numerus est, tamque multas, vel maximè vulgari-um, & promiscuarum inter homines actio-num, partim jubendo, partim vetando com-plectitur, ut, quemadmodum rubricæ Sa-crificii vel minimos quosque Sacerdotis ad a-ram facientis gestus dirigunt, nulla ei relicta libertate conformandi, movendique, nisi juxta suam præscriptionem, manus, oculos, caput; ità hæ nostrates rubricæ, eas assidue habent præ oculis, & servare ad unguem co-nanti, omnem penè humanarum operatio-num tum materiam, tum formam definiunt.

15. Objicitur postremò ab iisdem, mul-tos ex jurata in cænobiis obedientia plus im-pedimenti, quàm subsidii ad spiritualis vitæ perfectionem referre. Quemadmodum ex-empli gratiâ, ubi quispiam magno fervore animi ad suum corpus omni afflictationum genere macerandum impellitur, sique po-tens arbitrii sui esset, austeritatis exempla e-deret, haud sanè illis imparia, quæ in vete-rum anachoretarum vitis miramur: qui ta-men præsidem nactus nimis cautum, pròque
im-

immoderato habentem, quidquid extraordinarium est, nequaquam ab eo finitur, ultra mediocrem vivendi severitatem prodire: vel cum alter peculiari propensione ad mentis secessum, & tranquillam cum DEO consuetudinem fertur, qui dum contemplativæ vitæ exercitationibus, atque studiis totum se impenderet; dubitari minimè potest, quin eo itinere ad eximiam perventurus sanctitatem esset, cum tamen à religioso suo præside externis rebus administrandis pro cœnobii opportunitate addictus, inter profana illa negotia usque adeò perturbari, distrahi que sibi animū sentit, ut nè ad breve quidē tempus finè magno labore, & multiplici mentis evagatione versari cum DEO possit, nedum in suavi, & profunda illius contemplatione plures continentur horas traducere. Sed enim verò, quisquis hæc objicit, vel oblitus est, quod nos supra velut firmissimum totius hujusce dissertationis fundamentum statuimus, nempe quidquid legitimus rector jubet, ipsissimam voluntatem DEI esse; vel per manifestum errorem arbitratur, sedulam divinæ voluntatis executionem posse homini ad spirituales profectum obesse. Primum itaque resumendo objectionis exemplum; verum sit,

fit, respondeo, quod ibi affirmatur, illiusmodi hominem, si suam sibi retinisset libertatem, memorandum extraordinariæ austeritatis specimen futurum fuisse: quod illi nunc decus, religiosam subjectionem sectanti, à nimis timida moderatoris sui prudentia eripitur. Sed quid porrò? Minusne ideo sanctè idem vivit? Minus cælestis gloriæ merebitur? Minus placebit DEO? Negat D. Thomas, (2. 2. qu. 186. a. 5. ad 5.) disertè pronuntians, minus boni, auspice obedientiæ patratum, gratius DEO esse, quàm amplius, ad quod propria duntaxat voluntas impulerit. Imò ipsèmet Christus Dominus negat: qui apparens D. Teresiæ, cùm ea secum reputaret, utiliùsne futurum sibi esset, acrioribus pœnis, esto adversùs Confessarii sententiam, suum corpus atterere, prout ab altera pia fœmina factitari sciebat: *Cave, inquit, istuc feceris filia. Recto, & tuto tu tramite incedis. Videsne omnem illius austeritatem? Pluris ego obedientiam tuam facio.* (*In Addit. ad Relat. Vit.*) Idque ipsium sanctissima quoque DEI Parens D. Brigittam, similibus dubiis agitatum, pridem docuerat: certiores eam faciens, afflictationibus corporis, si sponte usurpentur, unicum, sin verò ex obedientia

præ-

prætermittantur, duplex præmium rependi:
alterum scilicet respectu piæ voluntatis, qua
expeditæ fuerint, alterum obedientiæ, in
cujus gratiam omiſſæ. (L. 4. Revel. c. 26.)

16. Neque mirum videri cuiquam po-
teſt, DEUM, qui nihil emolumenti ab ex-
ternis hominum obſequiis percipit, chario-
rem iis habere comparationem animi ad ea,
ſi velit, ipſi exhibenda; vel ſi alia illius vo-
luntas ſit, relinquenda: cùm terreni etiam
Reges, ac Duces, quibus exterior ſubjecto-
rum opera utilitatis plus affert, quàm interi-
us voluntatis obſequium, hoc tamen antefer-
re illi ſoleant. Unde Cyrus Perſarum Rex
profeſſus apud Xenophontem eſt: (L. 8 Cy-
rop.) *Pluris ſe eos facere, qui ſinè recuſatione pa-
rerent, quàm qui maximas viderentur, ac difficil-
limas virtutes afferre.* Et de Manlio legimus,
adeò parùm ipſi gratam fuiſſe, quam filius
contra ſuum imperium de hoſtibus reportâ-
rat victoriam, ut vel in tam charo capite ex-
tremo ſupplicio vindicandam putaverit: *qua-
ſi, prout addit Historicus, plus eſſet in imperio,
quàm in victoria.* (Flor. L. 1. c. 14.) Ah! le-
gitimam aliquando veræ, propriæque ſancti-
tatis ſpeciem in mente formemus. Cur in
extimo duntaxat illius cortice omiſſâ nuclei

M

cu-

curâ subsistimus? Cur quæ illi accidunt potius, quàm quod illa in se est, æstimamus? Nulla est præstantior sanctimonia, quàm perfectus DEI amor: neque DEUM quisquam amat perfectiùs, quàm qui suam illi voluntatem penitus subjicit, nihil aliud pensi habens, aut quærens, nisi quod ei maximè placet. Quemadmodum inter homines non ille servus melior censetur, qui plura ex Domini amore operatur; sed is potius, qui nihil non paratus ex amore illius facere, non plus tamen, aliudve facit, quàm quod videt illum velle à se fieri: illius propterea voluntatem, quasi unicam agendorum regulam continenter præ oculis habens, neque si forte ambigua sit, ex suo illam iudicio interpretans, sed ad ipsum pro certa ejusdem intelligentia confugiens; ità inter DEI famulos non is existimari perfectior meretur, qui durius in suum corpus consulit, sed qui paratus, quantum in se est, pessimis quibusq; illud modis tractare; non pejùs tamen, aliterque idem tractat, quàm probari cælesti suo Domino videt: illius voluntatem pro unica quanti, & cujuscumque regula habens: & quoniam non eadem respectu omnium illa est, studens, quænam respectu sui sit, agnoscere eo pacto, quo

quo non potest indubitanter agnosci, per illius nempe oraculum, qui erga se DEI obtinet locum. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* (Deut. c. 12.) Neque dixeris, religiosum Præsidem posse compluries circa DEI placitum falli, sive illud non perspicendo, ubi revera est, sive imaginando ibi adesse, unde abest. Certissimè enim constat, non semper, & ubivis easdem res DEO magis placere: sed persæpe evenire, ut, quæ opera in nonnullis circumstantiis gratiora haberet, in aliis approbet minùs. Quidnam igitur refert, si præses decipiatur, in extraordinaria quavis vexatione corporis huic homini sibi subdito interdicenda? Non aliud nempe hinc sequitur, nisi ut vexationes illæ, quæ citra præsidis interdictum plùs sua omissione Deo placuissent; minùs jam eidem, quàm earum omissio respectu hujus hominis placeant. Qui propterea habere pro certissimo potest, plùs pœnalibus illiusmodi exercitiis omitendis, quàm usurpandis gratificaturũ se Deo: licèt si interdicta non essent, gratiorem illi ea usurpando, quàm prætermittendo rem faceret. Tradit S. Teresa, cùm interdum contingeret, à spirituali suo rectore impro-

bari, quæ DEUS sibi antea præscripserat; hoc DEO moris fuisse, ut ipsam juberet, suo illi potius Vicario, quam sibi auscultare. Licet ipse mox eundem tam occulta, sed efficaci suadela in suam partem, ac sententiam perduceret. (*In Vit. c. 26.*)

17. Denique pro certo habendum, firmiterque asservandum in mente est, quod ad externa virtutis opera attinet; nequaquam DEUM velle, ut ea omnia ab omnibus suis famulis fiant; sed velle, ut nihil ab eorum ullo præter voluntatem suam fiat. Quare, cum hanc ille quantum ad nos in nostri moderatoris voluntate posuerit, si extraordinariam vivendi securitatem à nobis volet; moderatorem quoque nostrum ad eam suo calculo approbandam impellet. Quod nisi fuerit, pro indubitato argumento erit, eam, esto in aliis ipsi placeat, non etiam in nobis piacere. Id verò si certò constet, nullam prorsus causam video, cur si nihil in ejusmodi severitate, nisi placitum DEI quærimus; eam DEO minimè in nobis placentem ægro animo debeamus, aut possimus relinquere: cum eâ relictâ nihilo minùs, quàm usurpatâ ipsi grati simus: sed nostræ duntaxat virtuti eam externi splendoris speciem demamus, cujus cau-

causâ & admirationi esse aliis posset, & arcanam in nobis nostræ peculiaris excellentiæ delectationem ciere: delectationem enim vero perquam nimium innato cujusque erga se amori jucundam, cujus appetitus in causa plerumque est, ut spiritualium virorum nonnulli non ita facile, & libenter præfulum moderationi suum fervorem submittant. Quia profectò, ut insitam penitus à natura habemus cupidinem antestandi aliis, ita jucundissimum experimur aliquas in nobis hujus excellentiæ notas videre: nec nisi ægerrimè possumus pati, quòd in nostra vivendi ratione nihil extraordinarium, nihil singulare, nihil communi modo altius appareat. Quòd si Christianæ humilitatis, pro eo ac par est, studiosi essemus, gauderemus potius, à DEO, ejusque Vicariis per puræ obedientiæ semitas duci: eminentissimæ quidem virtutis, sed procul omni strepitu, & pompa in secretissimis animi penetralibus clausæ, adeoque insensibilis, ut nedum alios illius pretium lateat, sed vix à nobismet ipsis advertatur, & pro sua dignitate æstimetur. Condiscamus hujusmodi humilitatem ex magno Simeone Stylita, qui propriæ voluntatis submissionem usque adeò quibuscunque afflictationibus

corporis chariorem habuit; ut cùm Patrese, remi eum misso internuntio jussissent, è columna descendere, qua super, tanquam novum, & cæleste quoddam orbis terrarum prodigium vivebat, vix eorum voluntate audita, pedem illico ad descendendum sustulerit: jussa procul dubio executurus, nisi internuntius, ut habebat in mandatis, satis jam superque in tam alacri obsequio illius periclitatus virtutem, pristinum revocasset imperium. (*Sur. in Vit. 5. Jan.*)

18. Quæ cùm ita sint, supersedere ego jam possem responsione ad secundum objectionis exemplum: cùm quæcunque dicta sunt de severitate erga corpus, nihilo faciant minus ad secretam conversationem cum Deo, si hanc quoque præsidis jussu, hoc est voluntate DEI contingat, longis intervallis abrumpi, breviùsque intrà temporis spatium arctari. Sed ut faciliùs ab errore deducam conobitarum nonnullos, de moderatoribus suis conquerentes, quòd assiduis externarum rerum curis se implicent, nec tranquilla rerum divinarum contemplatione frui sinant, ad quam cæteroqui specialiter à DEO se vocari, & ex cujus prolixiori usu amplissima se relaturos spiritualis profectûs incrementa

ar.

arbitrantur; libet eorum aliquem remotis
 arbitris convenire, utque inter familiares so-
 let, sic alloqui: Et undenam, dilectissime
 frater, nōsti à divino te spiritu, & non à pro-
 prio potius genio, quietis naturaliter cupi-
 do ad istud contemplativæ vitæ otium impel-
 li? Quisnam insuper certum te facit, quòd
 tantam isthoc pacto orationis excellentiam,
 sublimitatēque assecuturus re ipsa sis, quan-
 tam tua tibi spes pollicetur? Adeone ignoras
 orationem extraordinariam haud nostræ par-
 tum industriæ, sed gratuitum DEI munus es-
 se, quod suo ille arbitrato distribuit: & sæ-
 pe quidem largiùs, non iis, qui, ut ipso tran-
 quilliùs fruantur, humana quævis commer-
 cia devitant; sed iis, qui ut homines ad ip-
 sum pertrahant, in eorundem medio versan-
 tur; prout videre est in Francisco Xaverio,
 aliisque Apostolici Christi vineæ cultoribus,
 qui inter assiduas occupationes pro salute a-
 nimarum susceptas, non secùs, ac in quodam
 Sinai, vel Thabor, DEO penitùs affixi vi-
 vebant? Cùm alios è contrario legamus,
 quòd in pura contemplatione sanctitatis to-
 tius fastigium, ac medullam reponerent, ne-
 que illi solidam humilitatem, & propriæ vo-
 luntatis abdicationem studerent conjungere:

miferis planè modis deductos à dæmone in fraudem fuisse.

19. Fac tamen, res itè se habeat, ut ab humanis quibuslibet curis vacans, illam in orando abstractionem à sensibus, illud cogitationum silentium, illam interiorum facultatum quietem, idque genus alias consequere orationis dotes, quas rerum mysticarum Scriptores usque adeò commendant, contra verò, exterioribus ministeriis operam navans, quæ modò hæc, modò illa tuus tibi moderator injungit, haud ultra gregarium, & vulgarem orationis modum sis processurus. Quid tum? Itane ergo absque gratuitis illiusmodi prærogativis obtineri ab homine perfecta vivendi sanctitas nequit? Exequendo promptè, & libenter, quidquid à præfide tuo jussus fueris, fieri poterit, ut extraordinariæ contemplationis privilegio careas; sed illius tamen locò acquies profundissimam demissionem animi, acquies omnimodam arbitrii, iudicii que proprii abdicationem, acquies perfectam voluntatis indifferentiam, facilitatè que ad quosvis DEI nutus, acquies integerrimam spiritus libertatem, placidissimamque ab humanarum affectionum intemperijs quietem: fructus omnes germanæ
obe.

obedientiæ proprios, & quibus, nescio, quanam optabiliores possint à quantumlibet eximia, & præcellenti oratione sperari. Testes ii sint apud Joannem Climacum veteraniam, atque emeriti religiosæ sectatores militiæ, & tamen etiam tum ex quocunque Abbatibus nutu instar tyronum, ac puerorum pendentes. A quibus in quodam cœnobio repertis, cum sciscitatus ille esset, quosnam spirituales fructus ex sua tam longi temporis subjectione retulissent; respondebant alii quidem, hac se via in altissimæ humilitatis abyssum descendisse; alii verò affecutos esse, ut quodvis contumeliarum, & ludibriorum genus æquissimo animo, citràque ullum sensum exciperent. Quare meritò idem mox potuit splendidis iis nominibus obedientiam insignire: *Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, spontanea mors, sepulchrum voluntatis, vita curiositate carens, securum periculum, immeditata apud DEUM excusatio, confectum dormiendo iter, discretionis depositio inter divitias discretionis.* (Grad. 4.) Nimis ah efficax ad summam divini amoris perfectionem præsidium, imò nimis quàm proprium, & perfectum divini exercitium amoris est illud, nullum à se ipso motum habere, sed omni in re

exanimis more instrumenti ab eo, qui DEI vices gerit, impelli, tractarique se sinere, suos omnes sensus, atque instinctus cuilibet divinæ voluntatis nutui plenissimo cum obsequio submittere: denique nihil unquam concupiscere, amare, & propositum sibi habere, nisi merum cælestis Domini placitum, neque in ullo vitæ actu quidquam aliud, quàm quod ipse vult, velle. Hæc certè perpetua quædam operationis, amorisque ecstasis est, quascunque alias intelligentiæ ecstasés longo dignitatis intervallo transcendens. Hæc conjunctio cum DEO, omnium, quæ in terris haberi possunt, maximè intima, & per quam homo juxta Apostoli dictum unus cum Conditore suo spiritus fit. Hæc demum ratio vivendi, qualem, non dicam, terreni Divinitatis contemplatores, sed cælestes spiritus ducunt: quippe continenter in supremi Domini nutum intenti, & *facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.*

20. Quo loco prætereundum non puto insigne D. Teresiæ testimonium, tantò dignius fide, dum exactam obedientiam quietæ contemplationi anteponit, quantò erat singularium fructuum peritior, qui ex intima Dei contemplatione proveniunt. En illud ex de-
ci-

cimo foundationum capite. Absurda res foret, si DEO palam nos iubente negotii aliquid pro sua gloria suscipere, nollemus nisi coram ipso versari, quia ex ejus presentia plus jucunditatis habuerimus. Ridiculum enim verò amoris divini incrementum. Hoc est intra angustos nimis fines illius potentiam concludere: perinde quasi nequeat, nisi unica tantum via & ratione nobis prodesse. Præter domestica experientie meæ monimenta, novi quasdam personas, quæ suo id exemplo mihi luculentius monstrârunt. Siquidem miserabar earum vicem, quòd assiduas inter occupationes ab obedientia detinerentur, reputans mecum, fieri non posse, ut in tanto rerum gerendarum aestu, ac tumultu ad virtutis incrementa proficerent, qua non nisi mediocriter instructa tunc erant. O! mi Domine, quantum consilia tua à nostris imaginatio- nibus distant? Utque ab anima tui amante, quæque se totam tibi moderandam tradidit, nihil aliud requiris, nisi ut imperata faciat, curetque edoceri, ubinam majus obsequium tuum sit, & illud solummodo appetat? Haud necesse illi est, opportunas sibi vias indagare, & eligere, utpote qua suam tibi voluntatem usquequaque subjecit. Tu Domine, hanc suscipis curam, illius, quæ proficere melius possit, ductandæ. Et quamvis, qui præest, in demandanda illi negotiorum administratio-
ne

ne hunc illius ampliozem profectum haud respiciat, sed solummodo ut negotia ex cœnobii usu rite obeantur; tu tamen, mi DEUS, illum respicis, atque ita, quæ geruntur, disponis, ut animæ præsidis sui jussa ex tui amore capessentes, uberem inde spiritualium fructuum copiam ignaræ, quo pacto, nec sinè tacita inopinati successûs admiratione percipiant. Ita planè usuenit personæ cuidam, usque aded perpetuis ad quindecim annos ministeriis, & curis distentæ, ut nè unam quidem toto illo temporis tractu seponere sibi uni dieculam posset: esto aliquam quotidie horam occupationibus reliquis suffurari ad privatæ orationis usum, & puram tueri conscientiam studeret. Anima est maximè omnium, quas noverim, ad obediendum propensa: nec absque luculento illa quidem promptæ hujus subjectionis suæ præmio. Nesciens enim, quam ratione id contigisset, interiori illa spiritûs libertate potitam se agnovit, quæ perfectorum hominum propria est, & quidquid felicitatis in præsentis vita expeti potest, secum homini affert: cum per eam, nihil anima in terris timens, aut cupiens, omnia possideat. O felix obedientia! ô felix ex ea oriens mentis distractio, quæ nos potest tanti boni compotes facere! Hactenus sacrum illud Carmeli oraculum: ex cuius verbis, & præcedenti disputatione universa colligere
uni-

unicuique fas est, quanto cum sœnore occupationes profanæ per obedientiam susceptæ, etiam si divinæ contemplationi impedimento essent, illius jacturam compensent. Lucro si genus dispendii est, dicitabat sanctus meus Pater Ignatius Loyola, à DEO DEI causâ recedere. Expertaque id est pia quædam Virgo apud Blossium, quæ, cum cælestem suum Sponsum sub infantuli specie sibi præsentem, audito tintinnabuli aliò evocantis pulsû, illico deseruisset; reversa in cubiculum, eundem in juvenis specie, & statura adultum reperit, dicentemque audiit: tua me obedientia ad hanc magnitudinem provexit. (*Apol. pro Taul. c. 6.*)

21. Neque de hoc quidquam dubii esse potest, si obedientia accipiatur, non quemadmodum sæpe fit, pro ejus duntaxat materia, mera scilicet eorum effectione, quæ moderatores præcipiunt; sed, ceu potius par est, pro intimo etiam, flagrantique studio exequendæ in omnibus voluntatis divinæ: adeò ut præsidis jussa & indifferenti prorsus animo expectentur, & tanquam ipsius DEI vox peramanter excipiantur, & promptissima cū voluntate effecta reddantur. Quo pacto si quis tota die agat, quæ sibi imperantur; ma-
ni-

nifestò apparet, quàm interior ejus devotio, & necessitudo cum DEO à nullo actionum, tametsi maximè tu multo osacum, genere impediri queat. Cùm neque aliud, teste D. Thoma, interior devotio animi sit, quàm *voluntas quaedam promptè faciendi, quæ pertinent ad DEI famularum;* (2. 2. qu. 82. a. 1.) neque universa illius vita, & operatio dici aliud possit, nisi alacre quoddam studium DEO ubique serviendi, & placendi. *Vidi quosdam, Joannes Climacus scribit, obedientiæ virtute fulgentes, Deique memoriam pro viribus non negligentes, promptè ad orationis studium accurrere, mentemque suam citò colligere, lacrymasque fontium in morem profundere. Erant enim præparati per sanctam obedientiam.* (Grad. 28.) Sin autem religiosus vir neque DEI placitum pro unico, & generali operationum suarum scopo habeat; neque in moderatorum jussis memoriam divinæ voluntatis significationem spectet, ac diligat: sed hæc potius, quàm illa pro naturali suo instinctu sibi præcipi optet: & si, quæ imperantur, voluntati suæ arrident, hac potius de causa, quàm quia DEO placent, ea peragat; si verò cum propensionibus suis pugnant, invito eadem animo, coactusque exequatur; facile assentiar, fieri posse, ut multa

ta opera, per obedientiam ipsi quidem injuncta, sed ab ipso voluntate parum obedienti suscepta, & peracta, nedum ab eximiae contemplationis usu illum prohibeant; sed vel ordinariae cum DEO consuetudini minus habilem reddant: neque solum levem aliquam mentis confusionem, & affectuum inquietudinem in illius animo excitent; verum etiam charitatis ardorem, necessariaeque perfectionis studium non sine gravi spiritualis profectus detrimento restinguant. Quamvis nunquam concesserim, posse veram, germanamque obedientiam se rite exercentibus poenitentiam, minusque utilem dici. Praedicta quippe incommoda haudquaquam ex ipsa, sed ex ipsius defectu oriuntur: neque novum in mundo est, etiam saluberrimas naturam suam res pravè utentium vitio noxias evadere. Qui ratione modo exposita praesidium jussis obtemperat, non divinam in iis quaerit voluntatem, sed propriam: propriamque duntaxat in operando voluntatem quaerere, ut à legitimo obediendi ritu quam longissimè abest, sic nullo modo potest nisi futile, & imaginarium quoddam religiosae obedientiae simulacrum vocari.

22. Quapropter operæ pretium fore arbitror, si velut in tabula quadam delineatam exhibeam, qualem hic accipio, divinæ hujus naturam, ac perfectionem virtutis: principia nimirum, quibus necessariò illa innititur, & actus, qui propriam, formalémque illius praxim constituunt. Duo itaque sunt principia, unde omnis pendet, & quibus geminò quasi cardine sustinetur religiosæ obedientiæ perfectio. Primum ardens in homine, qui eam profitetur, desiderium faciendi in re omni, quidquid DEUS maximè vult à se fieri, cum firmissimo, & universali voluntatis decreto, nunquam illud omittendi, quantumcunque naturâ asperum, molestumque sit, & propensionibus, atque commodis suis adversetur. Secundum, certissima persuasio, quòd nulla alia ratione DEI circa se, & actus tuos voluntatem possit melius agnoscere, quàm per sui præsidis, unici nempe illius vicarii, & interpretis vocem: adeò ut extra omnem dubium credat, quidquid sibi ab hoc præceptum fuerit, à DEO ipso præcipi: nec posse unquam contingere, ut quæ DEUS fieri à se vult, dum illi obedit, non efficiat; aut dum non obedit, efficiat. Geminis porrò hisce quasi fundamentis præjactis, nihil dif-

fi.

ficulatis jam superest, quo minus, qui ita
præparatus, compositusque animo est, eos
actus pergat adungere, in quibus propria
perfectæ obedientiæ exercitatio consistit.
Tres verò illi sunt: Primus nempe, in qua-
vis agendi occasione suum moderatorem ad-
ire, ab eoque, tanquam ab oraculo quodam
scitari, quidnam in præsentī re DEUS fieri,
vel non fieri à se velit. Secundus, quidquid
ipse edixerit, plenissimo cum assensu, & sinè
ulla examinatione, quasi indubiam DEI vo-
cem excipere. Tertius postremò, idem, si-
mul atque audierit, prompto, & libenti ani-
mo peragendum sumere: nihil attendendo,
quale secundum materiam sit, arduumne, an
factu facile, genione jucundum, an triste; sed
solam in eo divinam voluntatem spectando:
objectum videlicet, quod ipse unum super
omnia cordi habet, ac cæteris quibusque ob-
jectis amabilibus præfert. Actus enim verò
intimè adeò cum duobus modò dictis prin-
cipiis connexi, ut, qui ea penitus defixa in a-
nimo habet, cessare ab his nequeat: quem-
admodum argumenti conclusionem inficiari
nequit, qui propositionibus, in quibus con-
tinetur, & è quibus secundum leges Dialecti-
cæ eruitur, assensum præbuerit.

23. Parùm ergo, seu nihil perfectæ obedientiæ sectator pensi habet, utrùm, qui DEI locò sibi præest, hic, an ille homo sit: num bene, an malè erga se affectus: num placidæ, an severæ indolis: num eximiæ, an mediocris prudentiæ, & virtutis: gnarus omnia hoc genus discrimina nullius momenti ad finem suum esse, ad divinam nimirum voluntatem ex eo perdiscendam: similiter ac viator, certi itineris agnoscendi cupidus, nihil interesse suâ putat, nobilissime, an plebejus, pulcherrime, an deformis sit, à quo illud sibi indicatur: & veluti nihil aliud optanti, nisi voluntatem sui principis nôsse, perinde omnino est, sive ab ipsomet, sive ab aliquo ipsius nuntio de ea certior fiat, & sive hic ex primariis aulæ proceribus, sive ex imo pedisequorum sit grege. Neque itèm, qui hujusmodi est, & in obediendo nil præter obedientiam ipsam quærit, sollicito secum animo versat, hocne, an illud cœnobii præses sibi imperaturus sit, aut quid responsi postulationibus suis redditurus? Cùm enim nihil optet aliud, nisi divinam circa se voluntatem ex illius decretis agnoscere; nullas quoque habet causas, cur hoc potius, quàm illud ab eo cupiat decerni. Præsertim quòd non modò
cer-

certissimè noverit, divinam voluntatem à se impleri, quodcumque moderatoris sui iussa exequitur, etiamsi ab hoc jubeatur corporis afflictationes, orandique prolixitatem moderari, & vitam penè omnem externas intercuras traducere; verùm etiam compertissimum habet, nullo fieri modo posse, ut DEI iussa, qualiacunque illa sint, fideliter peragens, ex amanti hoc erga illum obsequio quidquam detrimenti circa spirituale profectum suum capiat: imò, quamvis de hoc certus non esset, sed prælagiret potiùs, executionem hujus, vel illius rei à suo præside, & consequenter à DEO ipso sibi imperatæ, spiritualibus animæ suæ emolumentis fraudi futuram; adeò tamen DEUM, sanctissimamque illius voluntatem plus suis omnibus nedum temporariis, sed & æternis rationibus diligit, ut, nè illam exequi omittat, paratissimus sit, quæcumque harum dispendia subire. Quemadmodum ergo viator, qui Romam exempli gratiâ, vel Neapolim tendit, si duas inter occurrentes semitas dubitet, utra ad destinatum terminum ducat, nullo utitur verborum artificio ad efficiendum, ut regionis periti unam sibi præ altera, dextram putat potiùs, quàm lævam indigent: sed cum simplici voluntate

cognoscendi eam, quæ vera est, & cognitam, quæcunque illa sit, capessendi, suam illis dubitationem proponit; sic & ipse nihil aliud desiderans, quàm merum DEI placitum in quovis actu suo reperire, nequaquam contendit cœnobii rectorem inducere, ut hoc potius, quàm eo tramite ad prædictum suum finem se ducat: sed animo prorsus indifferenti certum aliquem ab illo sibi designari expectat, eundemque, tanquam si nullus præterea alius foret, quietissimè ingreditur. Et veluti si à DEO ipso palàm loquente sibi dici audiret: nolo, ut severè adeò in tuum corpus animadvertas, tàmque diu orationem producas, sed ut communi circa utrumque sis contentus tui Ordinis modo, utque in hoc munere, quamvis tricarum pleno, & tranquillæ mecum consuetudini minùs accommodo, mihi pergas servire; manifestis hisce Dei placitis, & ex ipso illius ore auditis promptissimè suam voluntatem submittere: vel credens eorum executionem nihil sibi spiritualis detrimenti allaturam; possibile quævis detrimenta pro minimo habens, dum interim DEO jubenti plenè obsequatur; simili prorsus pacto, eademque cum alacritate animi omnes excipit sui præsidis nutus: certus scilicet,

cet, DEUM nihilo per hos minùs , quàm si
 sensibili sub imagine præsens loqueretur, su-
 am sibi voluntatem aperire: voluntatem pro-
 fectò longè omnium ipsi charissimam, quàm-
 que pro unico votorum suorum scopo, &
 gaudiorum centro habet. Post quæ perpen-
 dendum cuivis relinquo, quàm præcellenter
 descripta hìc operandi ratio, quidquid sum-
 mum in amore divino, omnique Christiana
 perfectione est, amplectatur: quàmque me-
 ritò sancti Hieronymus, & Joannes Clima-
 cus scripserint: Ille quidem (*In Reg. Monach.*
c. 6.) *In obedientia summam virtutem clausam*
esse. Nam simplici gressu hominem ducit ad Chri-
stum; Hic verò tam eximie sectatorem virtu-
tis ad ea, quæ honesta sunt, & spiritualia, ac di-
vinæ Majestatis oculis gratissima, ferè antè ven-
turum, quàm ire cæperit. (Grad. 4.) Tribue,
 DEUS, tribue, talium munerum cupidis,
 mira spiritualium objectorum visâ, intelli-
 gentias humano captu altiores, mentis exces-
 sus, abalienationes à sensibus, præpetes ad
 tertium usque cælum volatus, quæque alia in
 thesauris gratuite liberalitatis tuæ sunt extra-
 ordinaria id genus charismata. Quod ad me
 pertinet, donum hisce omnibus pretiosius,
 magisque expetendum putabo, te in tantum

amare, ut nihil præter ea, quæ ipse vis, velim.

CAPUT VIII.

Repræsentatur in nonnullis exemplis perfectio, quam in obedientia exercenda assequi possumus.



Uemadmodum naturale est corporibus liquidis, nullam à se ipsis certam figuram habere, nullamque non confestim accipere, quæ aliunde ipsis veniat; sic non dissimilem in perfectæ obedientiæ cultoribus videre proprietatem fas est. Cùm ipsi etiam neque ullam actionem, utcunque sancta secundum suum genus sit, per se ipsos, proprioque ex instinctu suscipiant, neque ullam non promptè aggrediantur, quæ à moderatorum voluntate illis fuerit præscripta, quantumcumque illa & naturæ propensionibus adversetur, & ab humanæ prudentiæ regulis dissidere videatur.

2. Illustre esse potest primæ partis exemplum nostri Ordinis tyro, Antonius Appulus

no